Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31635
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

cam. et descendes in cloacam mittis manus tuas in stercoribus. et aureum anulum simul et gemmam tuis manibus representas. tunc omnes amicos tuos invitas ad epulas. et letaris super anulum et gemmam quod sint denuo de squaloribus liberati. Prefectus dixit. Hanc propositionem ad cuius similitudinem attulisti. Tranquillinus respondit. Ut ostenderem tibi unum deum invisibilem nos colere. Prefectus dixit. Et quid est aurum. et que est gemma que in sterquilinio volutabatur. Tranquillinus respondit. Aurum corpus hominis est gemma vero anima que in corpore inclusa est. Corpus enim et anima unum hominem faciunt. quemadmodum aurum et gemma unum anulum facere comprobantur. Sed quantumvis tibi preciosus sit anulus longe satis homo preciosior est in centuplum. Et tu misisti servos ut anulum de sordibus eriperent. et nulla ratione eum eripere valuerunt. Misit et ipse prophetas suos deus de celo loquens ad eos. ut humanum genus a sordibus huius mundi eriperent. et nulla omnino hoc facere instantia potuerunt. Tu deposuisti auratas vestes et servili indumento indutus descendisti in cloacam. et manus tuas misisti in sordibus. ut anulum de sordibus liberares. ita et maiestas domini nostri exuit se divinitatis sue splendore. et induit se servili indumento. et huc in cloacam huius mundi de celo descendens. misit manus suas in sordibus passionum. que nostris meritis debebantur. quas in semetipso suscipiens. gloriose nos suorum redegit digitorum. Nos qui per incredulitatem volutabamur in squaloribus mundi. per fidem abluti a sordibus divinis sumus manibus ut ille tuus anulus restituti. Numquid servi qui te negaverunt dominum suum cum te in habitu servili respicerent non potuerunt ut rebelles occidi. Ita et qui negant christum dominum suum pro hoc quod semetipsum a maiestate exinanivit. et formam servi suscepit. nullatenus poterunt eterni ignis penas evadere. Ideo denique nobis qui in eum credimus. eterni fontis unda subvenit. ut eternus ignis. ab eterno fonte vincatur et extinguatur. et infidelitas a fidelitate separatur. Prefectus dixit. Verum video non ut filios tuos ab hac intentione tolleres. postulasse per varias inducias. sed ut has aniles fabulas ad nostra tribunalia meditatas afferretis. Tranquillinus dixit. Non meditantur discipuli christi quod in conspectu iudicum proferatur. Sic enim monuit nos dominus dicens. Quando potestatibus mundi huius vos causa mei nominis tradiderint. nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. dabitur enim vobis divinitus quid dicatis. Non enim vos estis qui loquimini sed spiritus dei loquitur in vobis. Non enim meditando ego sed credendo inveni creatorem meum. et qui eram podagrico et chiragrico dolore contortus et quassus. statim ut christum credidi. ac si puerulus omnium membrorum meorum recepi sanitatem. Constat animam meam ipsum esse. qui me renovare dignatus est. et sicut dedit restaurationem corpori. ita quoque anime post istam vitam repromisit eternam requiem eternumque gaudium possidere. Si tamen non dubius nec timidus hominum terroribus frangatur. sed mei nominis confessione perdurans. fidem integram quam me deus invenire prestitit. conservavero. Prefectus dixit. Ignoras Tranquilline. quoniam invictissimorum principum gravis contra nos ira deseviat. et ideo quasi securus quod tibi videtur sine timore prosequeris. Tranquillinus dixit. Stultus timor est. quod plus timetur humana indignatio quam divina. Numquid si in medio canum latrantium venerimus. et vano furore ceperint nos suis morsibus adtrectare. hoc quid possunt nobis de animo tollere hoc quod nos homines sumus rationabiles. et insani illi. Ita qui nobis recte credentibus irascuntur canes sunt. Secure possunt inferre iniqua supplicia. numquam tamen de corde nostro hoc auferre poterunt. quod dominum ihesum christum et creatorem nostrum esse credimus. et redemptorem ac restauratorem gaudemus.

Hec eo dicente. prefectus iussit eum recipi a commentariis dicens. Prima sessione te audiam. Post hec tenentur Marcellianus et Marcus. et ligati ambo ad stipitem. in pedibus acutos acceperunt. Quibus dicebat insania iussimus videre. Tamdiu fixi stabitis plantis quamdiu diis debitum redibeatis officium. Tunc ambo fratres in uno ligno confixi. psallebant inter se dicentes. Ecce quam bonum et quam iocundum habitare fratres in unum. Dicit eis Fabianus. Infelices et miseri. deponite amentiam. et liberate vosmetipsos a suppliciis imminentibus super vos. Cui responderunt ambo. et dixerunt. Numquam tam bene epulati sumus. ex quo cepimus esse fixi in amore christi. utinam nos [illegible] sic esse sicut sumus tamdiu permittas. quamdiu hu[illegible] regimur. corporis indumentis. Cumque transisset una dies et una nox. et illi in psalmis et hymnis perseverarent. iussit eos ambos ibi ubi stabant. lanceis per latera verberari. sed ipsi per martyrium gloriam ad syderea regna migrarunt. Item sepulti sunt et ipsi in via appia miliario secundo ab urbe. in loco qui vocatur ad herenas. quia copie harenarum illic erant. ex quibus urbis menia instruebantur.

Passio sanctorum Gervasii et Protasii

AMBROSIUS. Servus christi fratribus per omnem Italiam in domino eternam salutem. In divinis voluminibus reus subscribitur qui non studuerit dare gratis quod ipse gratis

+ ficte christum tenentes. cum sint illi et irrationabiles